N. 1857.

CURRENDA XI.

A. D. 1860.

N. præs. 86 ex A. 1859.

Casus liturgici Romæ soluti.

Si Rituale Sacramentorum ac aliarum Ecclesiæ Ceremoniarum ex A. 1631 Provincionale; nec non varias ejus posteriores editiones aut ss. Rituum Congregationis Decisiones in Currendis subinde publicatas, conferamus cum Liturgia nostra in praxi; haud exigua in nonnullis tum quoad cultum publicum, tum quoad Exequias observatur discrepantia: et in specie quoad cultum publicum sub incensatione Sanctissimi; sub processionibus cum Eo, in benedictione populi cum Ipso, in communione fidelium &c. &c.

Rituale prælaudatum Rituali Romano a Paulo V. Pontifice edito superstructum in 1. jam pag. exhibet Canonem Concilii Trident. e ses VII. C. 13. contra rituum novatores, tenoris: Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine *peccato* a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, *anathema* sit.

Si *anathema* ab Ecclesia universali fulminatur jam in cunctos Presbyteros, qui *verbis* solummodo Rituum mutationem suaderent aut defenderent; contremiscant oportet, qui actu, sive ex ignorantia haud invincibili sive e levitate, (non audemus contendere e contemptu) tot mutationes sibi indulgeant.

His in circumstantiis, ut uniformitas rituum ubiq. obtineat; utve tanta Ecclesiæ censura a capitibus tot Prævaricatorum propulsetur, rursus attolimus vocem paternam obsecrantes, ut cultum publicum, Sacramentorum administrationem &c. conformetis ad amussim Rubricis Missalis et Ritualis; Rubricisq. sensim per sacram Rituum Congregationem aut per Currendas Nostras sæpe sæpius enucleatis.

Præmisso generali monito ad strictissimam Rituum ss. observantiam, cum Venerabili Clero communicamus aliam circumstantiam, nimirum quod intuitu nonnullorum rituum in Rituali Provinciali haud fundatorum, attamen ferme ubiq. in Provinciis olim Regnum Poloniae constituentibus &c. vigentium movimus quaestionem ad Cathedram Petri, jam genuinam consequendi ergo solutionem; jam exoperandi causa consuetudinis introductæ approbationem.... ne ultro in sacris quid a Nostris agatur, quod displiceat ecclesiae et eo ipso oculis divinæ Majestatis...

Plures hoc in obtutu proposuimus quæstiones, quarum interim VII. recepimus solutionem, una cum adæquata Præfatione et Admonitione, quæ cuncta ad verbum prelo subjicienda, notulisq. augenda censuimus... hunc in modum:

„Tarnovien“

„Rmus Dominus Joseph Aloisius Pukalski Episcopus Tarnovien. desiderio flagrans, ut in Dioecesi sua sacrae Functiones ordinate fiant, servatis Rubricis, ac Decretis, et praescriptionibus Sanctae Romanae Ecclesiae, a Sacra Rituum Congregatione humillime petiit, ut super sequentibus Dubiis sententiam suam dicere dignaretur.

Dubium I. An in Vesperis coram Sanctissimo Sacramento exposito celebrandis addenda sit commemoratio de eodem, atque omittendus Versus: *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace?*

Dubium II. Utrum occasione Indulgentiarum, vel simili, qua Fideles magna cum frequentia ad Sacram Synaxim accedere solent, ne sese penes Altaris cancellos turmatim obtrudant, possit iisdem sive per Ecclesiam sive extra illam in genua provolutis Eucharisticus panis distribui, an potius debeat tantummodo distribui penes Cancellos lineo mundo contectos, sive ad gradus Altaris?

Dubium III. Utrum Sacerdos Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum thurificaturus postquam illud sub throno seu baldachino collocavit, debeat *stando*, an *flexis genibus* incensum in thuribulo ponere, et utrum Sanctissimum Sacramentum thurificare debeat in modum crucis *novem*, vel etiam *pluribus* thuribuli ductibus adhibitis; an potius praemissa profunda reverentia, *tres* tantum ductus in eadem linea dirigere erga illud debeat, prout fit in Crucis incensatione?

Dubium IV. In nostris regionibus ab immemorabili tempore invaluit consuetudo, ut in Processione, quae fit cum Sanctissimo Sacramento, semel ante illam, et saepius, ea perdurante, *Eucharistica benedictio* populo donetur. In solemni vero Processione, quae agitur occurrente Festo Corporis Christi, invaluit insuper, ut quoties ad aliquam stationem acceditur, vel ab ea receditur, toties benedictio donetur; ut in reditu ad Ecclesiam Celebrans intonans Hymnum: *Te Deum laudamus* — benedicat ad quatuor Mundi partes: rursusque in Ecclesia populo ab Altari benedicat cantans — *et benedic haereditati tuae* — postquam Sanctissimum Sacramentum manu regens ter cecinit — *Salvum fac populum tuum Domine.* Invaluit tandem in minoribus Processionibus, ut in reditu ad Altare recitetur Hymnus: *Rex Christe primogenite etc.* et ad verba: *Tuo nos Corpore refice, sacroque Sanguine ablue*— benedictio donetur, eademque iteretur post cantum Stropharum — *Tantum ergo Sacramentum etc.* ac *Genitori Genitoque* a Celebrante absolutum, qui hoc temporis intervallo Sanctissimum Sacramentum manibus tenere solet. Quaeritur ergo, an haec omnia rite fiant?

Dubium V. An velum, quod imponitur humeris Sacerdotis ad deferendum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, debeat esse coloris diei?

Dubium VI. Ob distantiam et consuetudinem invaluit in his regionibus, ut Sacrum Viaticum non in Pixide ad infirmos deferatur, sed in vase Patenae simili, quod operculo munitur, et cui pro Sancto Oleo aliud vasculum adnexum est. Hoc autem vas linteo obvolutum reponi solet in bursa Stolae consuta, in qua praeterea mos est *Prituale*, *Bombacium*, *Candelas* et *Crucem* asportandi. Quaeritur ergo, qualis color conveniat huic bursae, ubi defertur Sacrum Viaticum ad Infirmos cum Sancto Oleo?

Dubium VII. Utrum in administrando Sacramento Baptismi licite Sacerdos uti possit Stola bicolori, ex una nempe parte violacea, et ex altera alba juxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a Rituali praescriptum?

Haec porro Sacra Rituum Congregatio post accuratum suprascriptorum Dubiorum examen, rescribendum censuit.

Ad I. *Negative ad utrumque.* [1])

Ad II. ***Praestare in casu, ut plura genuflexoria, sive scamna linteo mundo contecta hinc inde a cancellis circulatim, seu in quadrum intra Ecclesiam ordinentur, et in extremitatibus interjecti spatii duo saltem Candelabra disponantur, quae perpetuo colluceant, dum Fidelibus circum adgeniculatis Sacra Communio distribuitur.*** [2])

Ad III. ***Sacerdotem dum incensum ponit in thuribulo stare debere, ab eodem vero Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum thurificandum esse triplici tantum ductu, sed genibus flexis, et tam ante quam post incensationem profunde facta capitis inclinatione.*** [3])

---

[1]) Responsum hoc involvit obligationem, sub Vesperis coram Sanctissimo extra Octavam Corporis Christi omittendi commemorationem de Eodem; i. e. Antiphonam, Versus atq. Orationem: *Deus, qui nobis sub Sacramento &c.* ast dicendi versiculum: *Fidelium animae &c.* Privilegium ergo commemorandi Sanctissimum sub expositione Ejus conceditur tantum ad Missam . . . Ratio hujus esse censetur intimus nexus, qui sub Missa intercedit; Missa etenim consideratur *Sacrificium* et Eucharistia *Sacramentum* (Eucharistie als Opfer und als Sakrament) in Vesperis coram Sanctissimo hocce vinculum desideratur, adeoq. commemoratio Ejus omittitur. Quod attinet Versum: *Fidelium etc.* ante quem particulam *et* praeponere haud licet, videlicet: *Et fidelium animae* quilibet concedet, animas suffragiis sub expositione non esse privandas, quum sub Missa ipsa, post *consecrationem* Sacramentum jam adsit, et nihilominus *Memento* fit *defunctorum.*

[2]) Hocce responso innuitur, laicis non esse dandam communionem ad *gradus altaris,* sed ad cancellos seu, ad scamna, linteo mundo contecta, (balaski) quæ repræsentent *mensam Domini;* privilegium accipiendi Eucharistiam ad *gradus Altaris* dumtaxat Clero competit, ad designandam eminentissimam præ laicis dignitatem, quod nimirum in ipso Altari immediate ipsi liceat panem coelestem manducare . . . . . Rubrica Ritualis Romani et Provincialis nostri respectiva ita quoad punctum quaestionis sonat: „Si Sacerdotibus vel aliis ex Clero danda sit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis praebeatur, vel si commode fieri potest, *intra sepimentum Altaris sint a laicis distincti.* Sacerdotes vero cum *stola* communicent. Si autem ex legitima causa, sacram Communionem extra Missam, vel suadentibus circumstantiis, v. g. ad evitandum tumultum populi extra Cancellos Altaris, distribuere oporteret; tunc Sacerdos ad: „*Misereatur*“ et „*Indulgentiam*“ intra medium Altaris, et Cornu Epistolae semi conversus subsistit; et praeter duas candelas in Altari, etiam lucerna accendi debet: quam ministro praeferente, et aliis Baldachinum super SS. Sacramentum sustentantibus, Sacerdos Communionem sacram, servato debito ordine, cum singulari veneratione distribuat. Similiter, ministro cum laterna praeeunte, et aliis Baldachinum deferentibus SS. Eucharistiam ad Infirmos (in vicinia) Sacerdos in Ciborio (si in Tabernaculo duae adsint Pyxides) deferat, oportet. Ab his solemnitatibus in deferenda publice SS. Eucharistia, Minister sacer tunc solum dispensatur, si Eandem ad dissita loca, vel in ultimo Triduo Hebdom. maj deportare deberet.“ *Ita Rit. Rom. et praxis plurium Ecclesiarum particularium.*

[3]) De sacro hocce ritu, jam in Currenda VIII. ex A. 1855, atq. serius edocti aliunde, eadem in medium protuleramus, verum his non obstantibus ductus non 3. sed 9. iiq. varias in partes fieri solent; imo non 2. solummodo profundae inclinationes (ab initio et in fine) sed 3. post quamlibet incensationem tripartitam a pluribus adhiberi cernuntur.

Ad IV. ***Expositos usus alienos esse e Rubricis, et Decretis praescribentibus, ut in Supplicatione Sanctissimi Sacramenti non adeo frequenter extra Ecclesiam benedictio donetur, sed semel, vel iterum dumtaxat; ut in reditu Supplicationis ad Ecclesiam deponi debeat Sanctissimum Sacramentum super Altare, et nonnisi semel cum eo benedici, et quidem post expletum cantum Stropharum: Tantum ergo, — Genitori Genitoque cum versiculo, et Oratione; tandem vero ut in actu Benedictionis nil prorsus cantetur.*** [4])

---

[4]) Heic distinquamus benedictionem cum Sanctissimo Sacramento in *consuetis* cum Eo *processionibus* intra vel extra ecclesiam et in *processione Corporis Christi* solennissima.

In *consuetis* processionibus nonnuli statim ab initio benedicunt cum Sanctissimo, intonato Hymno: *Twoja cześć, chwała,* vel *Do Ciebie Panie &c.* dein post reditum sub fine hymni: *Rex Christe primogenite* ad verba: *Tuo nos corpore refice*, ac tandem *tertio* ad verba: *By mu* (Najświętszemu Sakramentowi) *dzięka zabrzmiała,* i. e. in 2. Stropha: *Ojciec z Synem niech to sprawi.* alii atq. paucissimi benedicunt solummodo, *semel,* post reditum ad verba hymni consueti: *By mu dzięka zabrzmiała.* Hi posteriores, qui *semel* tantum benedicunt, in fine, observant jam Rituale provinciale, in quo nulla invenitur benedictio ab initio processionis demandata, nec ad verba: *Tuo nos corpore,* sed tantum ad verba: *Sit et benedictio,* seu ad versum nunc in *Ordine devotionis* praescriptum: *By mu dzięka zabrzmiała,* jam satisfaciunt Decisioni Congregationis SS. Rituum supra citatae, praeterquam clausulae, quae praescribit, ut Romanae Ecclesiae more, post cantum strophae *Genitori Genitoq* seu Nostrae *Ojciec z Synem,* nec non post versiculum: *Panem de coelo,* et orationem: *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili &c.* sacerdos populum benedicat, in modum crucis, nil dicens — sub qua benedictione *nil* quoq jam *cantatur* — Interim quoniam his in oris ritus benedicendi sub cantu populi ad verba: *By mu dzięka zabrzmiała,* vigore Ordinationum Diocesanarum, seu juxta Rituale Provinciale utpote e concessione Romana vulgatum ad verba: *Sit et benedictio...* legalis censeatur, praxis haec ultro retineatur — ... quia mutatione ejus populus offenderetur; cavet autem Epistola illi honorandae Decisioni adjecta, ut in *eradicandis ejusmodi abusibus maxima cum prudentia* procedatur — attamen benedictio post intonationem hymnorum: *Twoja cześć, chwała* aut *Do Ciebie Panie*, aut similium et ad verba *Tuo nos corpore refice...* amodo semper omittatur, quia in nulla Ritualis rubrica fundatur, imo Decisione hac Romana reprobatur, et populus intermissione ejus scandalisari nequaqm poterit.

Quod attinet *processionem* Corporis Christi *solennissimam,* haec a processione juxta Rituale Romanum Romae et alibi fieri solita totaliter differt; ibi etenim post Missam solemnem in festo Corporis Christi fit tantum processio cum Sanctissimo in foro &c, sub cantu hymnorum: *Pange lingua; Sacris solemniis.. verbum supernum...* sine stationibus ad 4. altaria, et post: *Te Deum laudamus* sine benedictione post, intonationem, vel ad *Salvum fac.* canitur post reditum hymnus: *Tantum ergo Sacramentum,* postea Versus: *Panem de coelo* et Oratio dicitur: *Deus, qui nobis sub Sacramento,* postea primum datur benedictio eaq. *unica,* sub integra processione, nisi fors in uno alteroq loco consuetudo invaluerit, semel ac iterum populum sub ea benedicendi, quam approbat et Caeremoniale eppis. et Decretum ss. RR. Congregationis de 23. Sept 1820 in Volaterrana, quod posterius ita sonat: „Vetustissimam consvetudinem (elargiendi benedictionem per vias, dum defertur SS. Sacramentum) tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur, quoties altaria occurant, sed *semel* vel *iterum* et altaria per viam extructa, sint decenter ornata et a probo caeremoniarum perito prius auctoritate Episcopi visitata“ . . .

Haec regula Caeremonialis Eppor. assumpta est ab Ecclesia harum regionum, quum Rituale Provinciale nullam aliam sub tota processione praescribat benedictionem, quam *illam* eamq. *duplam* in ultimo Responsorio *„Melchisedech“* videlicet ad Imum et 3tium *„O Jesu“* his verbis: In responsorio *„Melchisedech“* ad prima verba : *O Jesu* Sacerdos paululum substistens, dat cum Saeramento benedictionem Choro et aliis praecedentibus *genuflexis*: postea ad ultimam (3tiam) eorundem verborum repetitionem idem facit versus sequentem populum.“ Benedictiones ergo frequentes hucusq sub hac processione elargitae, utpote semel penes altare Majus inchoando processionem, *bis* ad quodlibet altare, jam ad verba: *Tuo nos corpore* et post intonationem Responsoriorum: *Homo quidam ... Immolabit ... Respexit ... Missit me ... Melchisedech, quater* post intonationem hymni: *Te Deum laudamus* videlicet ad 1. aut 4. mundi plagas ... jam contra regulas *Ritualis Provincialis* fiunt; jam contra Caeremoniale Epp. jam contra Decisionem praesentem &c. adeoq. ceu *illegales amodo* ubique omittendae. Benedictio ad *Te Deum laudamus* versus 4. mundi plagas in hac, aliaque processione conclusiva sub Indulgentiis post Vesperas &c. interdicta nimis materialiter nonnulis apparet, ac si Christus Salvator noster vertendus esset ad 4. mundi partes, ut benedicere dignaretur toti orbi. In Rituali Nostro conceditur tantum *una* benedictio sub Hymno: *„Te Deum Laudamus“* nimirum post trinum*: Salvum fac* ad verba: *Et benedic haereditati Tuae.*

Questio: Si hymnus *Te Deum laudamus* ... antequam perventum fuerit ad altare majus, terminatus haud fuerit, utrum Sacerdos teneat Monstratorium versus populum expectans versum: *Salvum fac* ... an vero id reponat et num reposito in Altari Sacramento, *standum* aut *genuflectendum* sit, donec finiatur versus: *aeterna fac cum Sanctis Tuis in gloria numerari?* .. Rituale provinc. disserendo de reditu cum Sanctissimo ad Ecclesiam festo Corporis Christi nec non sub conclusione hujus solemnitatis in Octava et alius indulgentialis ... praescribit pro casu memorato *repositionem* Sacramenti in Altari et *genuflexionem* hunc in modum: „reposito in Altari Venerabili Sacramento et omnibus *genuflexis*, cum perventum fuerit ad versum: *Salvum fac*... sacerdos recipiens Sacramentum conversus ad populum *ter* illum inchoat.“...

E dictis promanat *regula universalis*, quod ad initium processionis aut cantum alicujus hymni non detur benedictio, sed primum circa finem, ante repositionem vel supra tabernaculum, vel in tabernaculum seu pixidem — *cum qua benedictio* post benedictionem in monstratorio... nimirum post II. Vesperas Indulgentiarum aut Octavae Corporis Christi repugnat tum Rituali Provinciali, tum Ordini devotionis typo impresso, a. 1824 et 1845.

Post Missam solemnem, si processio cum Sanctissimo peragenda venit, *casulam* a Celebrante ad *cornu epistolae* deponendam, *pluvialeq.* *) assummendum esse, alias monuimus, auctoritatemq. pro hocce ritu adduximus — heic nonnisi attentionem ad alium ritum dirigimus, juxta quem *stola* a Presbyteris supperpelliceo indutis, ante Sanctissimum sub processione incedentibus, deferri *vetatur* S. R. C. de 7. Sept. 1816. et 26. April 1834.

Lente graviterq. incedendum esse sub processione ejusmodi tum Celebranti, tum binis ac binis Presbyteris cum cereis in manu extima, antecedentibus, linea recta, in distantia proportionata; respiciendumq. esse frequenter ad Celebrantem, ne distantia aequa obrumpatur, jam reverentia Sanctissimi ac hujus celeberrimi actus; jam decentia et Nostra in Currenda resp. commemoratio abunde innuunt.

Caeremoniale episcop. monet insuper, Celebrantem oportere sub processione oculos intendere ad Eucharistiam *submissa voce* hymnos aut psalmos recitando, non vero cum fidelibus canendo, excepto nonnisi casu, si deberet paucos canentes adjuvare.

---

*) Cujus coloris? Clementina Instructio desuper haec praecipit: „Celebrans SS. Sacramentum in processione delaturus pluviali albo indutus erit, quando non celebraverit cum paramentis afterius coloris, nam in hoc casu color missae retineretur“ videlicet, si immediate post Missam processio peragenda foret.

Ad V. ***Velum humerale semper esse debere coloris albi*** [5])
Ad VI. ***Praedictum casum tolerari omnino non posse, et curandum ab Episcopo, ut serventur praescriptiones Ritualis Romani.*** [6])
Ad VII. ***Affirmative.***
Atque ita rescripsit. Die 26. Mart. 1859.

C. Episcopus Albanen. Caro. Patrigi C. R. C. Præf.

(L. S.) **Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.**

Deniq. aliquot verba de *Antiphona*: „Rex Christe primogenite" apud nos cani solita in reditu ad ecclesiam infra Octavam Corporis Christi et in accessu ad 4 altaria extructa, in ipso Festo. Antiphonam hanc ignorat Romanum Rituale; eam quidem nostrum Provinciale aperte non denominat, verum praescribens Responsorium pro processione Vespertina ante festum C. X. et reliquis ordinariis *latinum*, ut tunc moris erat, nimirum: *Homo quidam*, nunc *Twoja cześć, chwała* adjicit: „quodsi circuitui non sufficit Responsorium, addatur *aliqua Antiphona* vel hymnus tempori deserviens." Processionale vero provinciale addendam hanc Antiphonam clare designat videlicet Petricoviense vetustissimum agens de processionibus cum Venerabili in Monstratorio dicit: „Processiones cum S. Eucharistia hac Antiphona: *Rex Christe* terminantur" et Leopoliense ex A. 1845 rubricam hanc &c. ita exprimit: In Processionibus ordinariis per Octavam in Missa et Vesperis: *Twoja cześć, chwała;* deinde *Rex Christe*... adeoq. Antiphona haec rubricis memoratis excluditur in Processione Corporis Christi solemnissima, ante accessum ad quodlibet 4. altarium, hinc in posterum ante 4. Altaria omittenda est; nec ipsa Antiphona semper foret canenda in reditu ad Altare majus, si nimirum hymnus in lingua vernacula qui canitur e g. *Twoja cześć, chwała* aut alius nedum terminatur. In primordiis Ecclesiae Poloniae, quando hymni ad processiones, expositiones et repositiones Sanctissimi... cuncti erant latini, Antiphona quoq „*Rex Christe*" quadrabat; ast modo miscere inter *Twoja cześć, chwała* et *Przed tak wielkim Sakramentem* latinum ejusmodi hymnum, haud congruum esse censetur. Idcirco nonnullae ecclesiae adaptarunt polonicum: *O królu Chryste jedyny.*

Quoniam de benedictione cum SS. ad verba: *Tuo nos corpore refice*.. nec Rituale nec Processionale Provinciale aliquam injicit mentionem, ea quoq. in futurum ubique intermittenda..

Quoniam sacerdotium inchoare solet hymnum: *Rex Christe,* et *benedicere,* populus vix intermissionem observabit, sensimq obliviscetur.

Antiphona „*O Królu*" quoniam ipsa encomia celebrat Eucharistiæ, ad fidelium communionem ab ipsis cantari possit, præprimis verba: *Twojém nas Ciałem posilaj* &c hanc oportunitatem innuere videntur.

Quaestio: Si ultro permittatur cantatio hymni *Rex Christe* aut *O Królu,* aut benedictio ultima post processionem aut ad: *By Mu dzięka*... sub cantu, conflictusne fors orietur inter Decisionem S. R. Congreg. supra appositam et praxin nostram in Processionali ac Rituali in Ordine Devo. hujate fundatam?

Rituale et Processionale hujas jussu Archiepiscopi Gnesnesis, P. T. Joannis Wężyk, nomine reliquorum Archiep. et Episcoporum, authoritate Synodali, in sequelam facultatis Romæ 29. Apr. 1623. obtentae... decreto de 15. Mart. 1631. editum est sic dictum Petricoviense, adeoq Antiphona saepius memorata aut benedictio jam antea a Sede Romana concessa extitit.

[5]) De *colore* veli, baldachini &c in Cur. XI. a 1859 et alibi plura adduximus decreta.

[6]) Quae ergo sunt illa Praescripta Ritualis Romani?

Sun eadem, quae habentur in Rituali hujate... pro casu, quotiescunque longius aut difficilius iter obeundum est et fortasse etiam equitandum..... nimirum ut sacerdos pro Sacramento habeat vas *separatum* a vase pro oleo s. ut vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata et ad collum appensa apte includat, et ita ad pectus alliget, atq obstringat, ut neque decidere neq. pixide excuti Sacramentum queat.. ut superpelliceo et stola *albi coloris* indutus sit et quoad administrationem Sacramenti extremæ Unctionis in dissitis locis mandatur, ut vas olei sacculo sericeo *violacei coloris* aut bursa inclusum *separatim* ad collum appendatur; utq. stola *violacea* penes Extremam Unctionem adhibeatur... Horum vigore pro casu praecitato.. 2. bursae ac 2. stola adsint oportet; quarum illa pro S. Viatico *albi* et pro oleo s. *violacei* sit coloris.. Quomodo in vicinia si administranda sint haec sacramenta infirmis, procedendum sit, jam Ritualia jam adnotatio in Directorio div. a. 1860. ad *Communionem paschalem* supra ad 2. apposita.... necessaria praescribunt. Huic rubricae deferri putatur, si una bursa uni stolae adsuta, ast interne divisa, adhibeatur, cujus bursæ ac stolae anterior pars pro SS. sit *albi,* posterior vero pro oleo s. *violacei* coloris.

„Tarnovien“

Rme Domine uti Frater Ex Decreto hic adjecto Amplitudo Tua comperiet, Sacram Rituum Congregationem Dubio numero quarto in eo signato respondisse juxta Rubricas, Decreta, et praescriptiones Sanctæ Sedis, relate ad benedictionem cum Sanctissimo Sacramento in publicis Supplicationibus Fidelibus impertiendam. Verum eadem Sacra Congregatio Amplitudinem Tuam monitam esse voluit, ipsam *juridicam* hanc *responsionem* ita *applicare* debere, ut in *extirpandis abusibus maxima cum prudentia procedat, et sensim sine sensu tolerando minores quousque graviores eradicare minime potuerit, in omnibus autem cavendo, ne fidelis populus aliquid admirationis et offensionis potiatur* *)

Sacræ Congregationis mentem dum pro meo munere Amplitudini Tuæ communico, ut ipsa diu felix et incolumis vivat ex animo adprecor Amplitudinis Tuæ, uti Frater Epus Albanen. Card· Patrigi S. R. C. Praef.“

Romae die 26. Martii 1859.

*) Has ergo discrepantias, a Rituali aut Processionali &c quas Epistola hæc abusus denominat, Venerabiles in Christo Fratres! extirpare satagatis, ne iisdem diutius conscientia oneretur; nec timendum est, ut populus in omittendis benedictionibus ad exordium processionum aut hymnorum, aut ad: Tuo nos corpore refice aliquid admirationis aut offensionis patiatur, quia tunc vix attendit, quomodo Celebrans procedat; unicus tantum casus timoris cogitari posset, penes omissionem benedictionis ad 4. orbis partes penes: Te Deum laudamus in conclusione Indulgentiarum... verum et hic pavor evanescet, dummodo populus fidelis edoceatur, benedictionem juxta decisionem Romanam, et juxta antiquissimas Ritualium rubricas in fine primum, &c non ad initium proces. v. cantilenarum esse elargiendam, quasi ante immediatum recessum Jesu Xti in Eucharistia a facie nostra, ante repositionem super vel reconditionem in tabernaculo, prout quondam antequam elevatus ad Patrem, Apostolis ac Discipulis, benedixit, ascendens in altum.

Obsecramus iterum atq. iterum, ut rubricæ Missalis ac Ritualis sæpe legantur atq. strictissime serventur; nullæ immutentur, aut novæ introducantur; nec Versus aut Orationes ad 4. Altaria in festo Corp. Xti ex aliis Ritualibus desumptæ recitentur; neve alia Ritualia, quæ ex aliis Provinciis heic comparere solent, et quæ e. g. ritum baptismi et matrimonii, Extremæ Unctionis... totum in lingua vernacula continent, adhibeantur seu illa Sacramenta ne in lingua patria administrentur nec Vesperae in eadem lingua pro latinis introducantur; sed Ordo Devotionis præscriptus (Litaniæ in Dominicis &c.) manuteneatur ad amussim.

Dabamus in Palatio Eppali Tarnoviæ. In festo Ascensionis Domini 1860.

N. 1530.

Proclamationes prius non fiant, donec impedimenta tollantur, præprimis illorum, qui nedum I. et II. Classem ætatis pro militia statutæ egressi sunt.

Im Grunde des §. 8. des kaiserlichen Patentes vom 29. September 1858 welcher also lautet: «Wer vom Eintritte in das Herr nicht gesetzlich befreit oder zum Heeresdienste nicht offenkündig (§. 26.) oder nicht nach dem Erkenntnisse einer Stellungskommission für immer untauglich ist, darf sich vor dem Austritte aus der zweiten Altersklasse nicht verehelichen. Eine ausnahmsweise Ehebewilligung im Falle vorhandener besonders rücksichtswürdiger Umstände zu ertheilen, ist die politische Landesstelle ermächtiget, jedoch begründet diese Bewilligung keine Befreiung von der Stellungspflicht, während der ersten und zweiten Altersklasse» besteht ein darin deutlich ausgedrücktes bürgerliches Eheverboth, von welchem in gewissen Fällen zu dispensiren die politische Landesstelle das Recht hat. Nun hat man im ämtlichen Wege in Erfahrung gebracht, daß hie und da von den Pfarrämtern Aufgebothe für an den gedachten politischen

Ehekonsens gebundene militärpflichtige Individuen ohne diese Ehebewilligung abzuwarten vorgenommen wurden, die Trauung dagegen wegen Verweigerung des gedachten Consenses nicht erfolgen konnte, wodurch für die Ehewerber bedeutende Unköften entstanden sind, bei dem Umstande, als beim Landvolke vor dem ersten Aufgebote kostspieliger Aufwand gemacht zu werden pflegt.

Aus diesem Anlaße findet man es keineswegs überflüßig die Frage: Wann sind die Aufgebote vorzunehmen? in der durch die erwähnten Fälle angedeuteten Richtung eingehend zu erörtern. Auf diese Frage giebt sowohl die kanonische als auch die bürgerliche Legislation eine bestimmte Antwort.

Was die kirchliche Legislation betrifft, so hat unter Andern Papst Benedikt **XIV** an die Erzbischöfe und Bischöfe des Königreiches Polen unterm 19. Mai 1743 eine Verfügung: „Nimiam licentiam“ des Inhaltes erlassen: „Onus proprio parocho injunctum est, ut *antequam denuntiationes de ineundo matrimonio publice in Ecclesia inter Missarum solemnia fiant*, ipse tum sponsum, tum sponsam seorsim, caute et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur; nec non ut quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullumne et cujus generis impedimentum inter contrahentes intercedat, aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit, de consensune parentum filii filiæque familias contrahant, hæc aliaque hujusmodi momenta, postquam parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorumdem momentorum sive deficere aut nocere posse deprehenderint, *suspensis interea denuntiationibus* illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium Antistitem, qui prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito opportune provideat.“

Die bürgerliche Legislation hat sich in gedachter Richtung kundgegeben in der Hofverordnung vom 23. Dezember 1797. im Grunde welcher es den Seelsorgern nachdrücklich bedeutet werden sollte, daß eine Verkündigung der bevorstehenden Ehe nicht voreilig, sondern erst dann vorgenommen werden soll, wenn sich die Brautleute durch die Taufscheine und die übrigen nöthigen Zeugniße hinlänglich über die Fähigkeit, eine Ehe einzugehen, werden ausgewiesen haben. Auf Grundlage der kirchlichen und Zivil-Legislation in gedachter Richtung, darf demnach kein Seelsorger Brautleute verkündigen, bevor sie sich ausgewiesen haben, daß sie mit Rücksichtname auf die Gesetze der Kirche und des Staates hiezu berechtiget sind, somit die erforderlichen Religionskenntniße an den Tag gelegt, die allenfalls nothwendige Heiratsbewilligung und falls sie in einem Hinderniße der Giltigkeit, (impedimento dirimente) ferner in einem kirchlichen oder bürgerlichen also auch in dem Eingangs erwähnten Eheverbote verstrickt sind, die von der rechtmäßigen Autorität erhaltene Dispens beigebracht haben. Am 3. Mai 1860.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae, die 31. Maji 1860.

PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.